

amor, illinc Patriæ veneratio. Precabuntur Cives, ne senectus hinc suâ careat juventute; vicissim ut vegetus illinc animus tardè suam experiatur senectutem. Utrunque vero literarum cultoribus foecundum sperandi lætandique dabitur argumentum. Ea præsentis seculi nos urget conditio, ut nisi diligentissimus publicam gratiam expectare prohibeatur. Vestri tamen radii, si calorem & vigorem ingeniis affundere dignentur, non defuturi sunt, qui viam virtutis arduam tentent, qui studiis imbui, qui negotiis involvi, qui speciminibus suis innotescere gaudeant. Sub his testibus agere, sub his censoribus proficere, sub his promotoribus ulteriora spectare, jucundum est. Vos curis publicis intenti multorum abripietis oculos, qui Vobis vel nescientibus, vel non advertentibus admiranda, forsitan & imitanda cognoscant. Flammæ hæc benignitas est, ut scintillis quoque suam invidere vitam nolint. Sic erunt semper, qui, quod suscipitis, vel actionibus suis vel præconiis assequi cupiant.

Cæterum DEUS Patriam præstet incolumem, & Germaniæ hunc angulum, postquam illustriora bellorum theatra passim excitantur, obscurum, ac ipsis novellarum compilatoribus ignotum esse patiatur. Delitescat in hoc nidulo pietas, quietem inveniat honestas, incrementis suis, vel nullis decrementis notetur singulorum prosperitas. Sint Posteriores, qui secularem præsentis Curiæ memoriam novis porrò posteris commendent. Hujus verò felicitatis testes & alumni sint, qui nunc extra patriam, patriæ tamen prodesse cupiunt. Vivite, florete, vel ut ad ipsum salutis principium accedamus,

DEUS VOS SERVET! *Dab. Lipsiæ Idibus*

*Augusti M DCCI.*

